

## XIX. CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

e. de mona-  
chis. de pbē.  
c. i. de capel.  
mona.

Adem ratione decens est, vt monachi qui parochiales ecclesias, cura animarum a pud ipsum monasterium, non personam relicta, incorporatas (vt vocant) monasterijs suis habent, non per religiosos (quos in monasterijs perpetuam vitam agere conuenit) sed per vicarios presbyteros seculares (modo haberi possint) ad eundem modum quem supra diximus, examinandos admittendosq; gubernari procurent. Quibus etiam de ecclesie prouentibus tantum assignare obligati erunt, vnde & iura episcopalia persoluere, & congruam sustentationem habere possint, quod vt fiat, nobis curae erit. Non tamen tam duri hic erimus, quo minus interdum viros monasticos, quos singulari vitae exemplo & doctrinae salutaris disseminatione insignes cōperimus, apud ecclesias parochiales relicturi & confirmaturi sumus.

### DE VITA AC MORIBVS PAROCHORUM. Cap. .I.



Vanquam de vita ac moribus Clericorum supra diximus, videtur tamen hic locus postulare, vt speciatim aliquid de conuersatione ac moribus parochorum dicamus, quod horum vita & officium diuo Paulo praecipue curae fuerint, adeo vt his recte se habentibus, de reliquis non admodum magnam sollicitudinem habuisse videatur. Nec immerito, res enim ipsa declarat, ac prisca secula meminerunt, quam tranquilla, quam flores, quam fructificans, quam denique felix ecclesia fuerit, dum talibus esset parochis insignis, qui euangelicis, apostolicisq; institutis, sanctorumq; patrum regulis addicti, non tantum vocabulo, sed & facto praestabant quod dicebantur. Contra vero, in quantos aestus, tempestates, procellas, ac pericula, ob eisdem sensim in diuersum mutatos ac varicantes ecclesiae nauicula misere coniecta sit, nos sentimus. Ex quibus rursus emergere, quum certo certius non possimus, nisi nos (quibus gregem suum Christus pascendum commisit) vias domini rectas, a quibus varicando excidimus, in ambulare pergamus. Quid tandem aliud consilij capiendū nobis, quam vt singuli, quales esse debemus, tales & simus, atque hoc insigne Christi verbum, quod hinc discedens, Petro oues suas committens, post tertiam demum dilectionis stipulationem promissionemq; vti vltimum elogium ac memoriale, fidelissime, diligentissime meq; inculcauit, & mente & opere teneamus, Quod est: Pisce agnos meos. Id fecerimus, si gregem Christi post Christum vnice diligamus, atq; eundem tam verbi doctrina, q̄ operis exemplo pascamus, diuinorumq; sacramentorum dispensationem tueamur, defendamusq;.

Iohan. vii.

Vita vt doctrinae in parocho conueniat, necessarium.

Cap. .II.

Vbiq;